D. A. B.

DISPUTATIO JURIDICO-POLITICA.

De

STATIBUS, AUGUSTIQUE IMPERII ROMANO-GERMANICI TRANSLATIONE,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

QUAM

FAVORE ASSISTENTE DIVINO

MAGNIFICO JCTORUM PERMITTENTE ORDINE

IN ALMA LEUCOREA

SUB PRÆSIDIO

VIRI NOBILISSIMI, AMPLISSIMI, CONSULTISSIMI AC EXCELLENTISSIMI,

DN. GOTTFRIDI SUEVI

J.U. Doctoris & P.P. celeberrimi. Curiæ Electoralis, Facultatis Juridicæ, & Scabinatus Aſſeſſoris graviſſimi, Præceptoris, Hoſpitis & Patroni ſui religiosè devenerandi

publico eruditorum examini

ſubjicit

JOHANNES FRIDERICUS RHETIUS

Brandeburgo-March. Autor.

In Auditorio JCtorum ad diem Decembris.

WITTEBERGÆ.

Typis Johannis Röhneri, Acad. Typogr. Anno 1651.

Tu Deus adſpires felici ſidere curſum!

Quantum momentum poſitum ſit in juris, quod vocare conſueverunt publicum, cognitione, vel exinde ſatis ſi ad verum exigamus, conſtare poſſe auguramur, quod Imperator, univerſi juris confaſcinaturus præcepta, jus ſuum in duas diſpertitus ſit partes, in publicum videlicet & privatum *§. final. de J. N. G. & C. inſtit.* Innuens vix nomen ſolidi juris periti demereri qui non ad utriusq; hujus juris adſpiraſſet notitiam, imò hoc ipſum jura nobis aperit patria, quæ ignorare, juxta commune JCt. effatum, maximò cedit dedecori; in hæc igitur intuentes, animus nobis factus pauca ex hoc jure ſub diſputationis revocare incudem, præprimis autem ſeligenda nobis videbatur de imperij Romano-Germanici ſtatibus deque hujus translatione materia; Quamvis verò latisſimmus ſeſe de hac materia offerat campꝰ, iſtum tamē ea qua poterimus brevitate decurrere conabimur, ſi verò rem hanc difficultatibus ſat opimam rite adeoq; concinne ſeponere nō queamꝰ, vel ultrò fore extra dubitationis ponimus aleam ut ab æquis impetraturi ſimus veniam, rem enim hanc tractādam non oſtentandi gratia ſed informandi in re difficili aſſumpſimus, verum auſpicium injiciendum eſt, idcirco ad propoſitum noſtrum in nomine Salvatoris noſtri, *l. 2. c. de off. præfect. prato. Affr.* nos ſumus præparaturi.

Priusquam autem ad ipſam acceſſum faciamus tractationem operæ pretium nos facturos exiſtimamus ſi prius qua methodo, quove ordine, ſepoſitam pertractaturi ſimus materiam inveſtigemus, deliberantibus verò nobis de methodis, commodiſſima viſa fuit Logica, ad quam noſtrum propoſitum coaptaturi ſumꝰ, adeoq; in limine ponimꝰ ſtatuum definitionem nominalem, in qua occurrit *1.* Ethymologia. *Diſpoſitio.*

I. Etymologiam verò quod concernit iſtam negligendam nobis eſſe haud cenſebamus, in primis cum accommoda *Etymologia.*

noſtro videbatur propoſito imò etiam argumẽta quæ negativè ex hac deducuntur apud JC. pro validis & efficacibus reputantur *l. 2. §. 2 ff ſi cert. pet. de reb. cred. & cond. l. 1. §. 1. de tutela*, alijsq;, breviſſimè verò iſtam tantum hoc loco ſubjungimus, ac dicuntur ſtatus à ſtando vel conſiſtendo quaſi in ipſis ſtet atq; ſubſiſtat imperium, *Goldaſt in Bohem. lib. 3. cap. 3. num. 4.* liquido igitur ex hiſce patet ſtatus eſſe imperij præcipua membra ceu quæ humeris ſuis imperium ſuſtineant ut totum hoc in iſtis acquieſcat ſicq; commode ſubſiſtat atq; conſervetur.

Homonymia.

II. Nunc nobis perluſtranda ſe offert homonymia, quam præterire haud poſſumus ſi infra directè noſtram concludere velimus definitionem prius enim vocabula ab omni æquivocatione ſunt repurganda antequam ad definitionem transponuntur, Nos igitur brevibus duntaxat iſtam attingemus, ac primo in genere hoc vocabulum ſtatus ab æquovocatione repurgabimus, deinde quoq; in ſpecie vocabulum prout noſtro ſeſe accõmodabit propoſito ab homonymia liberabimus. Sumitur autem vocabulum hoc in diverſa ſignificatione tam apud JC. quam Rhetores, ac ut rem tantum ceu in *παρόδῳ* delibemus, accipiunt Rhetores pro conditione alicujus rei ut Cic. quis rerum ſtatus, interdum vero alijs ſignificat idem ac ſtatutus, ut ſtatus dies, ſtata ſacrificia *d. tr. col. 119. Pero 10. 3.* pro certo civium ordine, ut ſtatus comitum, Baronum, & ſic ſtatus equeſtris &c. *Paurmeiſt. lib. 1 de jurisd. cap. 6. num. 2.*

Confœderatorum Belgarum vulgo der Staden *derivatio.*

Hinc & alij deducunt ſtatus Belgij der Staden derivationem, alij verò inde, quod primi ſteterint Regi Hiſpaniarum ipſos dictos autumant, quæ etiam derivatio veritati videtur conſentanea, hi enim ſeptem confœderatæ provinciæ cum penitius in conſilia Belli ipſius Philippi II. introſpicerent ipſius Regis ſub duce Albano imperium plane ejurarunt, adeoq; Anno 1572. ultrajecti convenerunt, fœdusq; intra ſe jecerunt firmum, ut invicem ſe contra vim illatam defendere poſſent, ac hujus fœderis Salutares Sanxerunt pactiones, quas referre omnes noſtri neq; foret inſtituti neque methodi, omnes enim eò ferè tendunt ut omnia communi conſenſu, auxilijsque ab ijs gerantur, ſiquelis inter eas provincias oriretur, aut ad proximas

defe-

deferũt provincias, quarum nihil intereſt, aut ad gubernatores, ejus deciſio vero ultra menſem non ſuſpendatur, nulla verò ſuper competat ad exteros vel exceptió vel appellatio; in comitiis verò inſtituendis hodie hoc modo utũtur, ut quoties res ſeria incidant quæ generalem liberæ illius reipublicæ concernunt ſtatum ad comitia ordines proſcribuntur, ſimulq; literæ, quibus generalia capita, de quibus in comitiis tractari debeat, adduntur, quibus peractis quælibet provincia certos ſuos mittit legatos, adeò ad comitia proficiſcuntur 12. 13. nobiles, civitates verò mittant conſules cum ſenatoribus totidem quot rei poſtulare videtur gravitas, ſic de rebus imperium concernentibus fideliter inter ſe conferunt, domumq; reduces facti, rerum ſuarum geſtarum biennium accurratam reddere tenentur rationem. Senatus verò ipſorum ordinarius conſtat ex ſupremo gubernatore & ſingulis ſingularum fœderatarũ legatis quibus accedere theſaurarius & 3. qui à ſecretis ſunt viri; Civitates autem Brabantiæ ſuos ad jus dicendum in ſupremo ſenatu non mittere ſudent legatos quamvis petierint attamen ſeptem iſtæ provinciæ cauſa graviore ductæ iſtis hoc abnuerunt. Neq; in hoc ſenatu Gubernator ſupremo militiæ & votum deciſivum ſed tantum conſultivum habet. Eodem modo in bello contra hoſtem ſi quid moliens ſenatus ſuperioris requirere debet conſilium. Atq; hoc de confœderatis Belgis addere volumus cum infra de iis agere non concederetur poteſtas, ac ne extra cancellos noſtræ methodi longius evagaremus ad noſtrum reducti ſumus propoſitum, & ad ſtatus noſtri vocabuli progreſſum facimus explicationem Homonymiæ, quod vocab. 4. ſumitur apud JC. pro legitima Regiminis & adminiſtrationis forma, ut quãdo quæro qualis ſit ſtatus in Romano imperio, qualis Galliæ ſtatus &c. 5. Deniq. accipitur in imperio Romano Germanico pro præcipuis imperii membris quæ in matriculam imperii inter alios ſtatus legitimè ſunt relati ſicq; ipſis competit de rebus imperium concernentibus decidendi poteſtas, atq; ita hoc loco ipſum accipiamus vocabulum de quo noſtram inſtituere ſumus diſputationem.

III. Antequam verò Synonymiam aſſumimus, etiam

 hujus

hujus vocabuli prout nobis inſervit explicaturi ſumus æquivocationem, quoniam hoc ad ſequentia non parum allaturum ſit lucis, iſtud autem æquivocum eſſe atteſtatur *Dom. Arumæus tom. 1. Juriſpubl. diſcurſ. penult. & 7.* Sumitur enim dupliciter, vel propriè pro ijs modo dictis imperij ordinibus quod ſeſſionem ac votum habent in comitijs, vel impropriè quando pro ijs ſumitur qui tantummodo imperatorem ſuperiorem agnoſcunt, aut ſaltem jure territorij utuntur, non tamen ſeſſionem ac votum habent in comitiis *Andr. Gail. lib. 1. obſ. 21. num. 4.* Quidam n. immediatè imperio dicuntur ſubjecti ſtatus tamen propriè non ſunt *Receſſ. de Anno 1564.* quæ tamen infra longius deducuntur.

Synonymia. IV. Pergimus nunc ad ipſam Synonymiam, Quam tacito præterire pede haud poteramus, ſiquidem id perfectum pronunciamus quod ex omnibus ſuis conſtat partibus *l. 1. ff de orig. jur.* cum in nominis hujus evolutione præcipuas hæc ſuſtineat partes ideoq; breviter iſtam ſubjungimus, dicuntur autem alio modo ſtatus imperij fulcra, imperij ſtabilimenta, præcipua hujus membra & quibus alijs vocabulum hoc connotatur nominibus qui omnia perlibare rei perhibet brevitas præcipuè cum hoc loco non adeo dilucidiorem addat explicationem, ideoq; hac neglecta cum magis neceſſaria explicanda reſtent nos ad ipſam conſtruendam conferimus definitionem:

DEFINITIO REALIS:

V. Ad hanc igitur nos accingimus ac quamvis quidam ſtatuant vix certam ſtatui poſſe *ex l. 202. de R. J.* cum omnis definitio periculoſa, ejusq; veræ ſc. def. requiſita competant paucisſimis, attamen nos poſituri ſumus teſſeram, eamque jam connectemus. Circa quam tamen connectendam varios opinionum diſſentientium reperimus nodos, qui varia ad verum ſtatum cognoſcendum requirunt requiſita, quidam enim ſolam matriculæ inſcriptionem requirunt ad verum veri imperii ſtatus notã, quemadmodum iſtum ſtudioſum eſſe probant qui in matricula Academiæ inſcriptus reperiatur

ac lo-

ac ſolenni ſe obligaſſe auctoramento demonſtrari, *Gilcken ad auth. hab. ne filius pro patre n. 7.* Sic & iſtum ſtatum imperij dici cujus nomen in matricula extet, *Limnæus de jur. publ. lib. 1. cap. 7. num 91.* verum notam iſtam nobis non indubitatam parere cognitioné patet cum vel adhuc in ſuſpenſo relictum ſit quænam vera imperii matricula ſit, *Goldaſt. de regno Bohemiæ lib 2. cap. 17.* adeoque in ancipiti verſaremur ſi iſta ſola gaviſuri ſimus nota, quamvis matriculam imperii de Anno 1521. præ cæteris authenticam reputemus, quæ & ut certa aliqua via eſſet, communi ſtatuum conſenſu approbata eſt *R. J. de Anno 1551.* §. Nach dem auch/ imò plura requiſita ipſum vocabulum ſtatus exigere videtur, videlicet quod iſte ſit propriè imperii ſtatus qui in comitiis einen ſtand oder ſtimm hat. *Receſſ. Auguſt. de Anno 1548, Paurmeiſt. de juriſd. lib. 1. cap. 6. n 4.* Alii verò quibus ſolæ matriculæ non arridet nota alia ſubjungunt κριτήρια ut ſc. verus ſtatus jure ſeſſionis ac voti in comitiis imperialibus gaudeat legitimo, urgenteq; neceſſitate certi aliquid penſitare ſubſidiumque, ſi quod bellum toti immineat imperio, mittere teneatur militare *Chriſt. Beſoldus de juriſd. imperii Rom. cap. 8.* alii ut merum mixtumque imperium in territoriis ſuis habeant. *Wechn. in obſ. pract. verb.* Stand des Reichs. Verum quod poſteriores has concernit rationes; dicimus notas infallibiles ſtatuum non eſſe, ſiquidem fieri poſſet quod vel peculiari Imperatoris privilegio vel præſcriptione ab hoc onere ſint immunes. Non tamen hoc loco inficiamur quod ubicunque ad probandum propriè ſtatum imperii poſſint adduci, dilucidiorem probationi affundant lucem.

Ubi nobis in tranſcurſu aliqua offerebatur quæſtio ſi aliquis ſtatus teneat quidem diſtrictum immediatè ab imperio, ſed tamen in alterius principis aut ſtatus diſtrictu bona poſſideat anne ratione iſtorum ſit ſubditus ipſius principis & non ſtatus immediatus? *Andr. Gail. de Arreſt. cap. 6.* diſtinctione rem diluere videtur, diſtinguitque aut ſtat iſtum jure patrimonii ſub alio ſtatu iſta tenere aut ſpeciali contractu aliaque conventione, ſi ſimpliciter ob patrimonii amplitudinem ſub alio ſtatu poſſideat, ſtatum imperii ob hæc bona nihilominus manere,

Qv. Quemnam princeps reſpectu duorum territoriorum ſuperiorem recognoſcat.

nere,

neté, ſi verò non Jure proprio ſed jure municipali, aut contractus. ſtatum imperii non eſſe, rem enim cum ſua cauſa & onere tranſire *l. cum mater C de rei vindicatione*. Sic & *l. 3. §. illud quoque de acquir. rerum poſſeſſione*. Nos tamen dicimus ſolam poſſeſſionem bonorum perſonam mutare non poſſe neque ſolam bonorum poſſeſſionem ſubditum facere *l. libertus §. ſola ff. ad municip.* aſſerimus igitur ſtatum iſtum principem omni ex parte manere, perſona enim tanquam nobilius ad ſe trahit minus nobile ſc. poſſeſſionem bonorum *l fin. C. de inoff. teſt.* Quin imò nec iſte cenſetur ſubditus qui una cum bonis etiam domicilium in alterius territorio habet, ſiquidem dignitas perſonæ ac publici juris autoritas ob bonorum poſſeſſionem non mutatur *l. 1. C. de imponend. lucrat. deſcript.* plura Reinking. de Reg. Secul. *lib. 1. claſ. 4. cap. 1.*

Definitio realis. VI. Longius verò aliquo modo digreſſi à re concepta, redimus ad mentem, talemque cum Excell. Dn. D. Carpzov. Brauthlacht. aliisq; conectimus definitionem, Nimirum quod ſtatus ſit præcipuum imperii membrum in matricula Imperii comprehenſum in comitiis legitima ſeſſionis ac ſuffragii gaudens jure, cum Imperatore aliisq; Imperii ſtatibus de rebus imperium concernentibus jus conſultandi ac decidendi habens, inque ſuo territorio omnimoda fruens juriſdictione. Quam definitionem hoc loco pro legitima omnino venditamus. Siquidem in ea nobis oſtenditur cum genus tum differentia ſpecifica. Genus legitimum eſſe ſatis conſtare auguramur ſiquidem latius ſit definito adeoque competat cum iis qui præcipue ac propriè ut ſtatus imperii, tum quoque qui impropriè tales nuncupantur, ut Rex Bohemiæ aliique ut refert Carpzov. *ad Leg. Reg cap 5. ſ. XI.* tum quoque ipſa legitima eſt diff. ſpecif. deſumpta enim ipſa eſt à materia, forma, & ſtatuum fine. quas partes hoc loco non recenſebimus ſiquidem in ſequentibus liberior de iis agendi concedetur facultas.

Diviſio generalis. VII. Perluſtrata igitur jam definitione reali progreſſum facimus nunc ad DIVISIONEM: In dividendo vero hos ſtatus ſic procedemus ut 1. ſtatus hos dividamus in genere. 2. quoque in ſpecie, in genere adeoque in limine dividimus eos in

Eccle

Eccleſiaſticos & Politicos; Eamque ſtatuum diviſionem Originem traxiſſe inde cum Petro Heig. *part.1.qu 4.n 61.* autumamus à religione videlicet Principum ſumma quæ tanta fuiſſe, creditur, ut Politici ſine Eccleſiaſticis vel Clericis, in propoſito ſuo aliquid ſolidi præſtare non poſſe exiſtiment adeoq; majus Numen ſuis affuturum credebant Conſiliis, ſi ipſi, ut vocabant, his præeſſent deliberationibus Clerici ſeu religionis antiſtites, unde & promanâſſe arbitrantur quod inaugurationi atq; conſecrationi Imperatoris præfecti ſint, hocque præprimis tempore Caroli Magni, Ludovici Pii & ſeq. tempore cepiſſe tradit *Knich. de ſumm. territ. jure cap.1. n.12.* & ſic hanc ſtatuum in Clericos & Laicos promanâſſe diſtinctionem, atque idem hoc innuere voluiſſe Imperatorem dum inquit: Maxima in hominibus ſunt dona Dei à ſuperna collata clementia ſacerdotium & imperium *Novell.6. in princ.*

Origo ſtatuum Eccleſ.

VIII. Ac ut primò ad ſtatus deveniamus Eccleſiaſticos ſeu Clericos In principio unde hoc nacti ſint nomine ſumus inquiſituri: Clericos autem dictos fuiſſe ἀπὸ τοῦ κλήρου quod Latinis ſortem ſignificat, vel ſæpius pro ordine ex conſequenti utuntur, cenſemus cum Anton. Gothofredi *diſput. feud 2. th.3.* Nomenq; hoc ipſis ideò tributum eſſe arbitramur quod ſorte delecti in hunc ordinem ſint delati. Eccleſiaſticos dici autumamus ab ipſa Eccleſia, qui ſc. Eccleſiaſtico deſtinato muneri cultui divino inſerviant, hinc & alio modo dicuntur Clerici hi ipſi qui cultui divino operam dant *l. 2. §. 4. c. de Epiſcop. & Cleric l.3. C eod. l.41. eodem.*

Derivatio nominis Eccleſiaſt.

IX. Dicuntur autem iſti, ut quosdam ſaltem referamus, Archiepiſcopi, Magiſter ordinis equitum Teutonicorum, Abbates, Abbatiſſæ, Prælati, Præpoſiti, &c. qui regali decorati ac prædíti ſunt dignitate, Archiepiſcopos autem dictos remur ἀπὸ τῆς ἀρχῆς & ἐπισκοπεῖν, quaſi primarii dicantur inſpectores in multos qui ipſis ſubjuncti ſunt, non tamen hoc loco omnes indigitantur inſpectores Eccleſiaſtici, ſed ii duntaxat, qui regali gaudent dignitate. Contra Epiſcopos dictos putamus à præpoſitione ἐπὶ & σκοπεῖν, quod ſimpliciter inſpicere ſignificat, adeoq; uni tantùm præſint civitati vel Eccleſiæ,

Quinam dicantur iſti.

inde

inde & penſitatores populi nuncupantur, ſicque ab JC. Arcadio Epiſcopos tales fuiſſe dictos reperimus qs. qui pani Cœteriſq; rebus præſunt venalibus *in l.15. §.7. verb. ite Epiſcopi de mun. & honor.* ut ex iſto refert Carolus ab Högen *inſtit. Jurisprud. publ. l.1. c.4. §.6.* Magiſter autem ordinis Teutonicorum dicitur ab ordine qui dicitur. der deutſche Orden / in quo tantùm recepti erant Teutonici, qui inſtitutus Anno 1190. ſub Imperatore Heinrico VI. ad urbem Ptolemaidem geſtabant veſtem albam cum Cruce nigra, & hinc Magiſter ordinis qui ipſis præerat dicebatur Germanus, quia Ordo hic nemini conferebatur niſi Germano. R. I. de Anno 1500. tit. Der deutſche Orden. Reſidebat hic olim Marienburg. Cujus officium erat omnibus Chriſtianis infeſtis armata reſiſtere manu. Duo verò

Duorum generum in Germania ordines.

ordinum fuerunt genera, unum Eccleſiaſticorum, quorum unum recenſuimus, alterum politicum quod molli jam perſtringemus brachio: Fuerunt autem ordines varii, quorum paucos adducemus, in Germania fuit ordo Aurei velleris Germanicè des güldenen flieſsel ut refert Matth. Steph. *diſc. Acad. jurispubl. l.4. & 5.* quos numero fuiſſe ad quinquaginta affert ſic inſtitutos Anno quem exprimit 1429. menſe 20. Januarii à Philippo Duce Burgundiæ, quibus inſignia fuerunt data ut geſtarent catenam auream cujus articulis ferrum ad ignem eliciendum erat inſperſum, in hujus autem cateni extremo agnum fuiſſe appoſitum auratum, cui & ipſe appellat pretium fuiſſe additum non vile laborum. Sic fuit ordo S. Johannis à Rege Balduino 2. de Burgo Hieroſolymis inſtitutus, cujus munus fuit Regiam poteſtatem firmare ac roborare contra hoſtes, pro Repub. Chriſtiana excubare &c. qui ordo Anno Chriſti 1308. Rhodius dictus usq; ad Annum Chriſti 1521. Sic in Anglia ab Eduardo III. Anno 1350. ordo Garterii, ſive Periſchelidis equitum fuit inſtitutus, qui cerulea Periſchelide in tibia ſiniſtra tanquam Symbolo inſigniti ſunt. Alio nomine vocant das blawe Hoſenbandt. Eodem modo ordo S. Jacobi in Hiſpania Anno 1158. à Papa Alexandro III. confirmatus Aliiq; ordines hinc inde reperiuntur quos adducere propoſiti noſtri prohibet brevitas, ideoque aliorum Eccleſiaſticorum

paucis adhuc videbimus originem, & ſequitur nunc Abbatis nomen quod origine Syriacum aut Chaldaicum arbitrantur Philologi, Abbatem dici quaſi Principem ac Patrem Monachorum. *Bod. de Repub. lib. 3. c. 7. p. 517.* Sic & Abbatiſſa quia monialium antiſtes. Præpoſiti autem unde fuerint dicti paulò magis controverſum reperimus, ſiquidem vocabulum hoc ad multas transfertur ſignificationes, quas referre haud nobis conſentaneum videtur, ideoq; cum Carolo ab Hagen ſaltem pro eo ſumimus qui ſuper alios ſuperioritatis gerit curam. Prælatum verò dici autumamus quaſi qui rebus Eccleſiaſticis præpoſitus ut eas procuret. Atq; hæc de ſtatibus Eccleſiaſticis nobis ſufficiant pauciſſimis. Iſtam hoc loco delibabimus quæſtionem utrum ordinatio ſive conſtitutio quoq; ad Magiſtratum Eccleſiaſticum an ad Politicum ſpectet? Nos dicimus ad Magiſt. Politicum pertinere ex Conſtitutione Honorii qui ſtatuit ne in Urbe Roma plures quàm 950 eſſent Decani ſeu Collegiati *l. 4. c. de SS. Eccleſ. l. 30. c. de Epiſcop. & Cleric. Novell 123. c. 10.* ubi & Imperator mandat ut quilibet Archiepiſcopus Epiſcopos omnes ſub ſe convocet adde *Novell. 123. c. 3. vid. Chriſt. Beſoldus l. 1. Polit. c. 4.* aliiq;.

X. Reſtat nunc ut pauca de ſecularibus in medium proferamus: Deprehendimus verò eos dictos fuiſſe 1. Laicos ſeu populares à Græco nomine λαὸς quod populum ſignificat, eam fortè ob cauſam, quod ſic ab Eccleſiaſticis diſtincti partim, partim verò quod ſub his populus comprehendatur; & ceu in Compendio eos dicimus eſſe vel Principes, vel civitates imperiales. In comperto autem ferè omnibus eſt quod modis vocabulum principis ſumatur, hoc loco ſub generali vocabulo principis complectimur omnes eos quos perſonas vocare ſoliti ſumus illuſtres, ut Comites, Duces, Marchiones, Barones &c: In varias enim hoc ipſum vocabulum ſumitur ſignificationes, 1. enim ſumitur *generaliſſimè*, apud Limnæum *tom. 2. l. b. 4. cap. 7. in princ.* 2. *Specialiter*, pro iis qui cum dignitate ducali eines Fürſten ab Imperatore in Ducatu inveſtiti, quales ſunt Anhaltini. 3. *Specialiſſimè*, quando κατ' ἐξοχὴν ſoli Imperatori tribuitur, ut *l. 1. de Conſtitut. princip. l. 31. & ſ q. § 0. inſtit.*

Seculares ſtatus unde dicti.

inſtit. de J.N.G. & C. hodie tamen cum adjuncto ſummus ſcil. Princeps vocatur ex ordin. Notariorum conſtituta Coloniæ Anno 1512 §. Vnd nach dem vor gemeinen Rechten &c ibi der nahm des Oberſten Fürſten. Ut & ex aliis patet Imperii receſſibus. De civitatibus verò imperialibus amplior agendi conceditur campus.

Diviſio ſtatuum ſpecialis.

XI. Nunc verò ſtatuum diviſione perſpecta generali, in ſpecie nunc iſtos videbimus & dividimus eos ratione dignitatis, 2. quoque diviſionem ratione territoriorum ſed ex parte tantùm delibabimus. Ratione dignitatis tribus includimus eos Cancellis, ac primo loco ponimus Electores, 2. Principes, Duces, Comites & Barones, ac 3. Imperiales civitates. Primam igitur poſituri partem Electores aſſumimus, ubi circumſpiciemus verbis tamen fluctuantibus, 1. Eorum, & quidem in genere, originem. 2. Jura Communia. 3. Quoti numero, ac 4. ſi licuerit brevibus ſingulorum jura territorialia perluſtrabimus.

De Translatione Imperii.

XII. Inveſtigaturi igitur eorum originem in limine ſtàtim nobis conſiſtendum, ac primùm quomodo Imperium ad Germanos fuerit translatum, 2. quomodo hoc factum ſit electitium, videndum. TRANSLATIONEM verò IMPERII ſæpiùs fuiſſe mutatam, jam fere in comperto eſt, translatum enim iſtud fuiſſe ad Francos certum eſt, à Francis poſtmodum ad Saxones Anno Chriſti 920. penes quos duravit usq; ad Annum Chriſti 1024. ad tempora Conradi cognomento Saliqui, quo tempore demùm translatum fuit ad Francos, fuit n. iſte à gẽte Frãcica quæ ſalica appellatur, à flumine Sala, cujus accolæ aliquot à Francis fuerunt referente Ammiano l. 12. ab his Francis verò translatum ad Bavaros donec ad Rudolphum Habsburgenſem, à quo Auſtriaci Originem habent Imperatores, qui hodie rerum potiuntur, pervenit. Paucis nunc quomodo à Græcis ad Germanos fueris translatum, videbimus: Id enim tunc temporis apud Græcos fuiſſe cùm ad Carolum Magnum transferreretur certum eſt, ſiquidem Imperatores Græci id ſibi jure omni vindicarunt ſcil. Imperium Occidentale, hocque per exarchos ſuos, usque ad Annum Chriſti 747. rexerunt,

runt, neq; poſt occupatam à Longobardis Ravennam eò ceſſerunt. Ad Carolum verò Magnum hi Græci tranſtulerunt, miſſis videlicet ad eum Legatis, ſic hoc ipſum ipſi obtulerunt, Auguſtumq; ipſum ſalutarunt. Italiæ verò Regnum tunc temporis penes Longobardos fuit, quod Carolus Magnus vi occupavit, deſiderioq; regno, omniq; potentia exuto, ſubegit. Videmus igitur quod hac in re nullæ partes fuerint ipſius Pontificis, ſiquidem totum ferè regnum Carolus vi acquiſivit. Pontifex igitur neq; medium potuit eſſe, neq; ipſe transferre, ſiquidem nihil juris in Imperio habuit, imò tunc temporis ne Romæ quidem poteſtatem habuit, tum enim Papa ad Carolum Magnum, ut ipſi opem ferret contra Principes Romanos, profectus, dedit enim jubente & conſentiente populo Papa Hadrianus Anno 774. Carolo poteſtatem creandi Pontifices, ordinandiq; ſedem Apoſtolicam. Et poſt hunc Leo III. claves Confeſſionis S. Petri ad Papam transferebat, non tamen ceu medium aliquod per quod totũ Imperium trãsferreretur, ſed ſaltem cogebatur res ſacras ipſi tradere, adeoque modò in his diſpoſitionem in urbe Roma, non enim opis quid tulit ad bellum Saxonicum, Gallicum, neq; ad Pannonicum, quos omnes Carolus ad veram Religionem traduxit. Nec eo modo ad regnum Italicum aliquid contulit, ſed tantummodò Carolum Leo 3. petiit ut urbem per vim ab obſidione deſiderii liberaret, neq; per traditionem vexilli urbis Romanæ aliquid contulit in Imperatorem Papa ſcil. cùm & Centurio aliquis aut alius exercitus Dux quãdo in urbe ſupremarũ vigiliarum Cuſtos deſignatus, urbs verò hoſti ex conventione traditur hic ſupremus vigiliarum Cuſtos portarum Claves victori tradere cogitur, num igitur hoſti ſic Chiliarchus urbis Imperiũ tradit ſpõte? nobis videtur quod non. Videmus igitur quomodo ad Carolum Imperium fuit translatum, rationes plures ſi hoc loco deſint, in diſcurſu ſuppeditaturi ſumus. Non tamen inficiamur conſenſum Pontificis adfuiſſe in transferendo, ad Carolum Imperio. Eumq; conſenſiſſe unà cùm populo Romano, non ut Pontificem, ſed ut Politiæ Romanæ

 mem-

membrum præcipuum. *Vid. Dn. Carpzov. ad L. Reg. German. cap. 2. ſect. 8.*

Electionis infantia. XIII. Hoc emenſo videbimus quomodo Electio invaluerit Imperatorum, primò enim fuiſſe ſucceſſorium extra omnem dubitationis ponimus aleam, ſiquidem Conſtantinopolitanorum fuit ſucceſſorium, neque fuit traditum Carolo Magno. Iſtum verò ſuccedendi modum usq; ad Heinricum IV. duraſſe cum Conringio *disp. de Elect. th. 20.* ſtatuimus. Hic à Papa Hildebrando, qui ſe Gregorium VII. nominavit, quod patrem Anno ætatis 6. pariter cum ad legalem veniſſet ætatem more majorum Imperium non adminiſtraſſet ab hoc Pontifice ſuperbiſſimo excommunicatus, de ſede, quod antea nulli vix venerat, nam Imperatoribus Pontifices fuere ſubjecti usque ad Annum C. 1076. dejectus, Rudolphum in Imperatorem elegerunt conſeſtimq; ab hinc Conſtitutionem edidere, ut poſthac nullus Imperator ad imperii faſces veheretur, ſed electio jure id adipiſceretur. Filiusque etiamſi dignus videretur à Principibus tamen eligeretur, atq; hæc Conſtitutio communi principum conſenſu, quo Rudolphus electus Anno 1078. edita. *Atteſtatur Conring. disp. modo dicta.*

XIV. Et ſi eligendi mos fuit introductus qui & jam à Principibus invaluerit rebellibus, attamen fracta Majeſtate imperiali hucusq; radices egit firmiſſimas, quod cùm ferè jam planum fecerimus quod hodie Electio duret, infra tamen pluribus de hiſce dicendi concedetur facultas, inveſtigandum quoq; nobis erit quomodo pedetentim majores ſemper ceperit vires. Initiò autem Imperatores ab omnibus eligebantur, eosq; communi omnium conſenſu fuiſſe electos adeoq; conſenſu liberarum civitatum, quamvis hoc deſtruere conetur Bellarm. *lib 3. de translat. Imperii*; videmus. Contrarium tamen facilè demonſtrari poterit, ſi modò in unicam Heinrici II. electionem introſpiciamus, is enim cùm Sigisfridum Epiſcopum Colonienſem rogâſſet ut ipſi adjumento eſſet quò ad imperatoriam eveheretur dignitatem, hoc reſponſum tulit ſe ſponte ipſius velle annuere petitis, niſi hoc obſtaculo eſſet, quod

com-

communis populi ad electionem requireretur conſenſus, quo igitur major pars populi inclinaret & ſe liberaliter aſſentiri, jam verò dubitare haud poſſumus de voto liberarum civitatum, quod & atteſtatur *Dithmarus lib. 4.* Populum enim ſæpius dici pro civitatibus aſſerimus, in noſtram ſententiam it Radevicus de rebus geſtis Friderici *lib. 2* dum ipſe, ubi cæteri populi vocabulum populi, ſupponit Conſules civitatumq; Judices, ſed de his infra pluribus.

XV. Deinde verò cum votorum nimia diſparitas votorum nimiam promovebat contentionem hoc eligendi jus ad pauciores fuit redactum, adeoque eò melius ſemper ad Septemviros pervenire incepit. Antequam verò ad ipſum eligendi deveniamus modum ipſam Electorum indagaturi ſumus originem, circa quam variè diſſentientium reperimus meſſem, pauciſſima tamen hac vice adducemus; Quidam ad Ottonis III. hanc Electorum referũt inſtitutionẽ, hunc in modum ſc. cum Conradus Franconiæ Dux mortem obiret, Imperium translatum eſſe ad Heinricum Aucupem, ab hoc Imperii Inſignia ad Ottonem Magnum Heinrici filium & Ottonem Nepotem fuiſſe transmiſſa, quo ultimo etiam defuncto vitâ, à Germaniæ proceribus, qui tunc temporis frequentes Romam intraverant graviſſimas moras fuiſſe controverſias de eligendo Imperatore, cum alii bene cuperent Heinrico Bavaro, alii ad Imperium evehere ſtuderent Ottonem, quibus ſe quoq; oppoſuiſſe creſcentem Nomentanum Conſulem Romanum qui ægrè tulit ad Germanos imperii faſces devenire, Pontificemq; Gregorium ab Heinrico II. inſtitutum ejeciſſe, hinc Ottonem III. Urbem Romam obſidione cinxiſſe, Conſulemq; hunc captum maximâ ignominia affeciſſe, atq; Pontificem hunc Pontificatui reſtituiſſe, Imperatorem verò ſapientiſſimum proſpexiſſe quod firmiter ad Germanos transmitti non poſſit niſi certi qui Imperatorem eligerent eſſent conſtituti, ideoque numerum Septemvirorum ſuaſu Pontificis Gregorii inſtituiſſe.

Electionis pueritia.

Origo Electorum.

XVI. Verùm quod huic ſententiæ calculum noſtrum addere non poſſumus, urgent nos multæ rationes. Quos nun-

quam

quam à probatiſſimis autoribus aperta Conſtitutio de Electorum inſtitutione fuerit relata nec unquam in lucem produci potuerit, imò Hermannus Conring. atteſtatur *diſput. de Elect. th. 14.* nullum ſcriptorum ab Ottonis ætate usq; ad Fridericum II. per ducentos & quadraginta ac quod excurrit annos hujus Conſtitutionis de Electoribus feciſſe mentionem, quod tamen dubio omni procul, ſi ipſis cognitum fuiſſet haud taciturnitatis involviſſent Sypario, cùm res notatu digniſſimas ad poſteros omninò transmiſiſſent. De Gregorio verò V. dici planè nequit quod iſte ſit vel Suaſor vel Inſtitutor apertæ alicujus conſtitutionis Electorum quia Gratianus quem circa annum Chriſti 1151. vitam degiſſe credunt, decreta, Conſtitutiones, ſtatuta, omnium Pontificum mira deſcripſerit concinnate nec verbulo aliquo hanc attigerit conſtitutionem, nec in deſcriptione omnium actuum Gregorii V. reperire poſſumus ullum verbum quod ad hanc poſſit trahi conſtitutionem. Baronius verò ad annum 996. apertè refert, primum omnium fuiſſe ſcriptorum Martinum Polonum qui de Electoribus fecit mentionem, cujus tamen vita incidit in Annum C. 250. in vivis enim fuit Martinus Polonus regnante Friderico II. adeò dilucidè aſſerit Polonus poſt Ottonem Officiales Imperii Imperatorem eligere cepiſſe, qua in re ipſi facilè aſſentimur, non tamen inſerit publicam fuiſſe conſtitutionem editam, de hiſce officialibus, verba ipſius ſunt hæc, quæ citat Coringius *diſp. de Elect. th. 15.* Et licet tres iſti Ottones per ſucceſſionem generis regnaverint, tamen poſtea fuit inſtitutum ut per Officiales Imperii eligeretur Imperator &c. Alii verò adſcribunt Ottoni IV. Friderici II. coætaneo, nituntur decreto aliquo quod in Comitiis Francofordianis fuit editum, hos tamen refutat Goldaſtus *in Bohem. lib. 3. cap. 5. n. 9.* aſſerens hanc conſtitutionem non ab Ottone IV. ſed à Johanne Baptiſta Egnatio in ejus vitam confictam.

XVII. Alii denique totum hoc Collegium conſuetudine introductum eſſe quibus cum Carpzovio, Conringio, aliiſque ſuffragantem addimus calculum, dicimusq; Collegium iſtud

aperta

aperta conſtitutione introductum non eſſe quod ſupra jam tùm probatum dedimus, pleroſque Principes usque ad Fridericum II. elegiſſe Imperatorem, non tamen hoc inficias ire poſſumus poſt Fridericum II. ſemper eligendi munus ad pauciores fuiſſe redactum, non tamen aperta conſtitutione abrogatum quod Principes Imperii non permiſiſſent.

XVIII. Unde hoc conſtanter aſſerimus hunc in modum Electorum invaluiſſe originem: Nimirum cùm Fridericus II. fata ſubiret ſuprema Reipublicæ undique quaſſari cepit ſtatus adeò ut in interregno iſto quod tùm incidebat ob Regis Romanorum defectum, nemo verò Reipubl. Romanæ firmam haberet curam adeoq; reliqui jura iſta quæ ipſis competebant ſatis haud tuebantur, quod vel ab imbecillitate turbati rerum ſtatus, vel ſaltem ob negligentiam fuiſſe factum, haud attendimus, Cæteris igitur hæc nõ ſentientibus, præſtantiores Principes ad ſe ſolos hoc eligendi munus traxiſſe, cõſtat enim pauciſſimos ordinum Imperii ratam habuiſſe curam, donec Maximilianus primus laudatiſſimam quoque conſtitutionem de diviſione ſtatuum in circulos, deque Camera Spirenſi ediderit in Comitiis Wormatienſibus Anno 1495. cùm tamen & antea in melius ire viſum ſit tempore Caroli IV. qui Auream Bullam Anno circiter 1364. edidit qui etiam nobis ſuffragatur lib. 1. Vnd den Churfürſten nach alter löblicher gewohnheit zu ſolcher Wahl zu reiſen wird von nöthen ſeyn / ubi atteſtatur inſerpenti conſuetudine introductam originem horum Electorum. *Quomodo ceperint Electores.*

XIX. Ac primùm modicè ſemper hoc collegium ſuum aſſecutum eſt faſtigium. Inprimis autem cum hi Principes facilè proſpicerent prudentes, ut ipſis cæteri imperii principes hoc munus inviſuri ſint, ideoque relinquebant illis jus præſentandi vel quod alias prætaxandi dicere ſunt ſoliti, modum hunc deſcribit *Carpzov. ad Leg. Reg. Cap X. S. V. num. 22.* adeoq; ſi Electores in conclavi conſultabant de aliquo tum Principibus proponebant quid ipſis videretur, deinde diligenter eorum nomina quot vota tulerint, notabant, qui igitur plura habebant vota is ad imperii evehebatur faſces. Sicque ſuam

limitatam oſtendebant potentiam, ut neminem eligerent niſi qui antea communibus Principum prænominatus eſſet ſuffragiis.

Electionis adoleſcentia.

XX. Modico vero præterfluente Tempore hic mos coarctari cœpit, undè & ipſe Carolus IV. cum videret ex jure hoc præſentandi, præſentisſima oriri jurgia, quod accidiſſe ſenſit in propria Electione, alii enim Güntherum Comitem Schwartzenburgicum deſignarunt, alii hunc Carolum, hinc Lex lata fuit Carolina, qua *Theſ. 1. & 4.* ſanxit ut nullus ad comitia vocaretur niſi Electores ſeptem, Horumq; ſummam authoritatem corroboravit firmisſimè, adeoque ut nullus de injuria conqueri poſſet illata, ad hujus Collegii vocationem unum ex regibus, unum ex ducibus, unum ex Marchionibus, unum ex Comitibꝰ, una cum Eccleſiaſticis confirmavit, qui omnes eorũ vices, qui antea eligẽdi huic intererant muneri, adminiſtrant, nihil vero moramur illos qui dicunt liberas præteritas fuiſſe civitates imo & nobiles, qui quoque tunc Imperii fuerunt ſtatus quorum tamen vices hodiè nemo adminiſtraret, ad quod tamen reponimus nullum tunc temporis, cum jus eligendi tum votum conſultivum competiiſſe ipſis in comitiis iſtis, in quibus eligeretur Imperator cum jus hoc ad ſeptem noſtros redigeretur viros cum Carpzov. ad Leg Regi *c. 10. ſ. 5. n. 37.* quo tamen non negamus, quaſi ipſis nunquam competiiſſet neque cõſultivum neque deciſivum votum ſed tunc temporis ipſos cum communi populò conſenſu eligerentur imperatores, jus habuiſſe votandi quod & ſupra adſtruebamus, tunc vero temporis amiſiſſe vel negligentia propria, vel in convocando ex certis rationibus eſſe omiſſos, tunc enim ſoli principes hoc jus ſibi arrogaverant quod aſſerit *Conring. diſput. de Ducibus & Comit. theſ. 40.* in cæteris vero ubi de eligendo imperatore non agebatur ut olím ita & hodie habere votum & conſultirum & deciſivum quod indicat *Pacificatio Oſnabrug. §. 8.*

Confirmatio Electorum à Carolo IV.

An præterita liberæ civitates.

Confirmatio munerum Electorum.

XXI. Ut verò redeamus unde digreſſi ſumus in ipſa hac Aurea Bulla Electorum munera quæ antea mera erant ambulatoria adeo prima officia iis Imperatores conferebant quibus impen-

impenſius favebant, certis adſtrinxit perſonis ut patet ex *A. B. t. 6.* Von vergleichung der Churfürſten. in qua tamen collatione officiorum Carolus IV. nihil immutavit, præterquam quod Regi Bohemiæ alius locus aſſignatus, quam ob cauſam hoc factum ſit, infra adjiciemus, quod reliquos tamen nihil transpoſuit, quamvis aſſerere videatur *Petrus Heigius part. 1. qv. 3. n. 29.* ex Supremo, Marchione Brandenburgico feciſſe infimum, ex poſteriore ſc. Comite Palatino Rheni feciſſe primum, quod tamen ordinationibus antiquis haud convenire videtur imo & Speculo Saxonico (quod tamen longo tempore ante A. B. fuit inſtitutum, ut atteſtatur Spangenberg. *in Chron. Sax. cap. 247.* quod & à Carolo Magno confirmatum) traditur, quod ſemper huic Comiti Palatino primum votum apud ſeculares competierit, de quibus tamen pluribus, cum ad ſingulorum jura perventuri ſimus.

XXII. Atque hæc de Electorum origine nobis perluſtranda veniebant, paucis nunc communia jura ipſorum perpendemus. Verum ut hoc loco breves eſſe poſſimus ceu rem in compendio perpendentes, diviſimus Electorum jura inter jura quæ ipſis primario competunt, de quibus nulli alii participant & in jura quæ cum aliis habent communia, de his poſterioribus hoc loco non agemus, ſiquidem infra de iis agendum nobis erit partim, partim verò hinc inde in libris de hiſce editis, horum reperimus mentionem, adeoque priora modo attendemus quorum præcipuum eſſe perhibent, quod ipſis ſolis ſit collata Electio Imperatorum. undeqv. mota fuit num propterea Regibus anteferantur? Affirmativam amplecti videtur *Arumajus in diſc 4. ad Auream B. concl. 1. p. 151.* Verum breviter nos cum Carpzovio reponimus. *cap. 10. ſect. 7.* hoc contra verba A. B. poſitum videri *t. 6.* Und ſonderlich das der König in Böhmen/ *&c.* quibus & illa ſuffragari videntur quod ſcil. Regum nuncii, Electorum Legatis præferantur *cap. Ferd. III. §. 4.* Wer'es aber ſache/ *&c.* Hinc tamen cum Regibus comparantur Reges tamen non ſunt nec eorum nominibus aut inſigniis utuntur *Petr. Heig. part. 1. qv. 4. 38.*

Jura ELECTORUM propria.

Jura eorum communia. XXIII. Hiſce demum emenſis jura quoque quæ cum aliis habent communia circumſpiciemus pleraque tamen ex A. B. peti poſſunt ſiquidem Imperator *tit. 9.* diſertis verbis ipſis addicit jus auri & arg. fodinarum ſic minerarum tam inventarum quam inveniendarum poſſidendum, jus recipere Judæos, jus cudendi monetam quod hodie cum aliis habent commune olim ipſis ſolis competebat, jus telonia inſtituta percipiendi de quibus tamen teloniis ſub Quæſtionem revocarunt, An Electores vel alius Dominus territorialis, quando vectigal ſumpſerunt, damnum quod viatoribus in via ſol ta & regia à prædonibus illatum, reſarcire obſtricti? varie hanc qv. diſputant nos tamen quasdam inſpicientes rationes affirmativam tenere haud dubitamus præſertim ſententiæ noſtræ favere videbatur. *l 1. § Quies quoque 12. ff. de off. præf. vrb.* ſic quoq; patrocinium nobis ſuppeditabat *l. 3. & l. 13. ff. de off. præſidis* in quibus quaſi præcipitur præſidi ut curet quod viæ repurgatæ ſint à malis hominibus ſic & *Receß. Imp. de Anno 1555.* §. Nach dem aber ein jeder Churfürſt / ſic & *Receſſ. de Anno 1559.* §. Da nu die Obrigkeiten / *&c.* quibus omnibus aſſeritur ut Magiſtratus viarum ſecuritatem ſeriò attendant, dicimus igitur dum telonia iſta accipit Magiſtratus tacitè quaſi promittere viarum ſecuritatem, & ſi id non fecerint ex quaſi delicto teneri videntur, ſi damnum viatoribus ſit illatum. Præſupponimus tamen hoc loco certa requiſita, ſi ſcil. viatores diuturno, non nocturno tempore iter inſtituerint. *arg l. 1. §. 18. ff. ad SCt. Sylan.* Sique Dominus potuerit purgare viam, Sed nobis maturandum ad alia, conceſſa enim ſunt his Electoribus & alia jura ſcil. *tit. 10. A. B.* de emptione aliorum territoriorum, Comitatuum, Baronatuum &c. Gaudent privilegiis de non evocando, it. *tit 26. A. B.* ipſis conceſſum, ut cum feuda ab Imperatore acceperint nemini aliquid dare teneantur niſi ſponte & ultrò Officialibus aliquid largiri velint, aliaque ipſis conceſſa ſunt, de quibus ulterior infra dicendi conceditur facultas.

Quomodo hodiè Electio instituatur. XXIV. Atque hæc quoque de Electorum jure communi ſufficiat, paucis tantummodò & velut in tranſcurſu Electionem,

nem, cum, quomodo antea ſit inſtituta, perluſtraverimus, quomodo hodiè fiat conſiderabimus, breviterque aliquid de Rege Romanorum addituri ſumus; An verô is vivente Imperatore eligendus ſit dubitant non pauci, quorum agmen novisſimè aliis ducere viſus eſt Hyppolitus (ſed ficto nomine) â lapide, qui multas adducit, cur ita Electio non ſit aſſumenda, rationes. Principes enim exinde propagare conari ſucceſſionem, ſiquidem Electionem ſuorum vel agnatorum vel liberorum pretio preceque extorquere allaborent, quod & factum in domo Auſtriaca, exinde enaſci ſucceſſionem, quod & videri posſit in domo modò dicta Auſtriaca; ſiquidem ibì vel decem electi ſint Imperatores una ſerie, adeoque ſi annos computemus, ad annos 180. apud hanc domum remanſiſſe, quod tamen antea factum nunquam, adducit exempla Romanorum, qui ſanxerunt quod nemo Cenſoriam dignitatē ambiret, adducit exempla Bohemorum qui in Conſtit. ſ. Pacif. Pragenſi de Anno 1619. conſtituerunt, ut nunquam vivente aut Imperante Rege alius eligeretur, confirmatam ſuam reddit ſententiam *ex Receſſ. imperii, & ex Schleid. lib 8. hiſt.* Verùm paucisſima ſaltem ad hæc reponimus: Quòd primò ejusmodi doloſa inſertio aut votum captandæ mortis planè exulare debeat in illuſtribus perſonis, adeoque omni careant ſuſpitione *cùm Dd. in l. fin. C. de pactis* ſtatuimus, nec exinde in Regno Romano-Germanico ſucceſsio aliqua ſperanda cùm tot annos una ſerie duraverit penes domum Auſtriacam ob general. *verba capit. Ferdin III. §. 18.* Und inſonderheit wollen wir uns keiner Wahl/*&c.* quæ verba ſine effectu eſſe dicere, in Crimen læſæ Majeſtatis incurrunt, ſiquidē ſacratiſsimus Imperator perjurium committeret, quin v. hoc ipſum aſtruere videtur *A. B. tit. 1.* So offt und wann es in künfftigen Zeiten die Nothdurfft/ *&c.* Quæ verba cùm generaliter loquātur de omni electionis & neceſsitatis ratione etiam de neceſsitatis electione vivente Imperatore intelligi debent, *argum. l. 1. §. generaliter. ff. de Legat. præſtat. item l. ſi pluribus ff. de Legat.* Sic & Electores habuere rationes plurimas quas non projecerint calloſum in vulgus, ſiquidem & patria virtus ſpe-

Rex Romanorum.

Contra Hyppolitum à Lapide.

ratur

ratur in liberis, quod Elect. Mogunt. in Orat. ſuper Elect. Carol. V. habita atteſtatur itanē de nobis meritus Maximilian. I. *Schleid. lib 1. de ſtatu Religionis.* Facilè igitur corruit ſententia ipſius Hyppoliti, verùm feſtinandum nobis, cæteras noſtræ ſententiæ rationes in diſcurſu ſubjungemus, conſenſum tamen Imperatoris hodiè requiri ſolitum non imus inficias, ſiquidem ad beneficium Imperatori datur, invito verò beneficium non datur *l. 69. ff. de R. J.* Deinde quoque ipſum hoc vult obſ. in elect, Ferdinand. III. Anno 1636, quod conſenſus Imperatoris fuerit requiſitus.

Ipſa Electio. XXV. Nunc pauca de hodierna Electione ſubjungenda veniunt, verum actum iſtum accuratè deſcribit *Carpz. ad Leg. Reg. cap XI. ſ. 9.* Ideoque iſtum videre poſſumus, nos ſolennia addere non poſſumus pauciſsima referemus, adeoque in limine ſtatim perpendimus, an Auguſta Imperii noſtri mater Francofurtum quæ in Aurea Bulla *Caroli IV. tit. 2.* Electioni Imperatoris deſtinata quoad Electionem immutari poſsit? Multis modis hæc quæſtio eſt controverſa, ſiquidem quidam dicunt exempla quàm plurima eſſe quorum Electio in urbe Francofurtana non ſit facta. Sic Ferdinandus III. Rudolphus II. Maximilianus II. Ratisbonæ ſunt electi. Sic Ferdinandus I. Coloniæ non tamen repugnant *A. B. tit. 28.* §. Wir befinden auch / *v.* Und das die Wahl / *&c.* Siquidem ipſe Imperator *§. in t. d. 28.* adjicit: Es ſey denn / das vorgemeldeten allen oder ihrem einem Verhinderung vorfielen / *&c.* Dicimus igitur quòd hodie regulariter in Urbe Francofurtenſi inſtituenda niſi prægnans ſubſit cauſa, adeoque & hodie adſpirante divino favore, in proximis comitiis de horum Electione ſcil: Regum Romanorum conſultabitur ubi promittitur quòd defectus Comitiorum debeat reſarciri in Pacif. Oſnabrug §. 8.

De mittendis ad Comitia legatis. XXVI. Hiſce perſpectis notandum nobis venit ut legati qui ad comitia indicta mittuntur, intra trium Menſium ſpatium *tit. 1. §.* Auch ſetzen und ordnen wir / *&c.* ſufficienti inſtructi ſint mandato, ad quod tamen non refertur ſi legato certa eligendi determinata eſt perſona vel certa ex familia adeoque

cum

cum Reinkingio *lib.1. cl.3 cap.3. n.8.* dicimus eatenus ſufficiens quatenus literas oſtendere poteſt credentiales oder die gewalts-brieffe/antequam enim iſtas oſtenderint ad voti explicationem non mittuntur in conclave, adeoque hisce oſtenſis intromittuntur; Neq; ſi Elector tres vel plures mittat legatos, ac omnes literas credentiales haberent ad voti explicationem permittuntur, ſiquidem hoc foret contra Collegium in quo unum tantùm una perſona habet votum non plures, cum verò in modum ab una perſona plura darentur vota. Nihil tamen dicimus referre ſi plures mittuntur Legati hanc modò ob cauſam ut communicare poſsint conſilia, adeoque eò firmius votum ferre, quod & obſervatum refert *Goldaſtus* in Politiſchen Reichshändeln/ *part. 1. t. 17. fol. 29. & 30.* ubi in Electione Caroli V. Anno 1519. Ludovicum Regem Bohemiæ quatuor legales miſiſſe nuncios, qui omnes ad voti explicationem adſpirare voluerunt prætendentes A. B. plures admittentem ſed unus votum tulit, neque in conclave niſi iſtæ perſonæ eligentes conſtituentes Collegium gravi de cauſa intromittuntur. Elector verò aut Legatus idoneè inſtructus ſi tardius ad Electionem venerit in conclave intromittendus eſt, ubi de eligendo Imperatore colliguntur vota, ac in eum ſtatum, quo ſtetit ponendus atteſtante *A. B. t. 2.* §. Wann aber ſie oder ihrer mehren/ *&c.* Hoc verò extra omnem dubitationis poſitum eſt aleam, ut ſi Elector in Convocatione omitteretur tota iſta annullaretur electio, ut ſuffragatur electio Conradi III. quæ ab Electore Saxonico & ab Heinrico Duce Bavariæ, tanquam ſubreptitia accuſata *referente Otton. Friſing. lib. 7. Chron. cap. 22.* adeoque convocatis omnibus ſeptem Electoribus Electio inſtituatur, hodiè tamen in Pacificatione Oſnabr. noviſsima Octavus Elector inſtitutus eſt, quomodo proximè inſtituenda Electio novi Regis Romanorum propediem inſtituenda Comitia referent. Si verò Elector aliquis ritè vocatus nec ipſe venerit, nec legatum idoneè inſtructum miſerit, pro iſta vice voto privatur R. A. zu Speyer de Anno 1629. §. Und damit ein/ *&c.*

An plures Legati ad Comitia mitti poſſint.

Elector ſi tardius venerit admittendus.

Inſtitutio Octavi Electoris.

XXVII.

An depoſitio Imperatoris Electoribus competat.

XXVII. Dubia verò hoc loco ſcaturire videtur quæſtio: An jus deponendi Imperatorem Electoribus competat? Nihil hâc de re mentionem facit A. B. Nos tamen ex exemplo Wenceslai probamus maximè iis competere, ſiquidem Electores iſtum non removiſſent, ſi ipſis non conceſſum fuiſſet à Carolo IV. Deinde ex conſequenti hoc colligi poteſt ex A. B. de juramento, quod Electores præbent de eligendo Imperatore, *Carpz. ad L. R. cap. 14. n. 5.*

Imperatoris coronatio.

XXVIII. Nunc perluſtrata electione, ipſam coronationem Imperatoris circumſpiciemus, quam etiam deſcripſit *Carpz. ad L. R. cap. XI. ſ. X.* quo capite refert hodie Imperatoris coronationem Electoribus ſolis competere, antea quidem coronatio & confirmatio fiebat Romæ in ædibus D. Mauritii, verùm cùm Papa id ad neceſſitatem redigeret, de anno 1338 decretum promulgatum, ne amplius eſſent, qui coronationem Papæ requirant neceſſariam niſi gravi, quæ adjecta, ſub pœna, quod decretum memoriæ reſervàvit Albertus de Roſate *ad leg. bene C. de quadrienn. præſcript.* Unde & à Maximiliano I. omnes Imperatores hucusque coronationem Papalem repudiarunt *Conring. diſp. de Septemv. t. 41.*

Singulorum Electorum in Comitiis jura.

Elector Moguntinus.

XXIX. Paucis nunc dilabimur ad ſingulorum jura territorialia eorumque in Comitiis officia, primum autem locum inter Electores Eccleſiaſticos obtinet Elector Moguntinus, qui Germaniæ Archi-Cancellarius, Collegiique Electoralis Decanus nuncupatur, ad quem, deficientibus nimirum Galliarum, Italiarumq; Regnis, tota moles tanquam Collegii Decanum videtur devoluta, atteſtante Rulando *de Commiſſ. part. 2. lib. 5. cap. 11. 10.* & paulò poſt *num. 11.* ſubjungit Archivum Imperii hodiè duplex eſſe unum continens acta Imperii publica quæ in Comitiis aliisque Imperii peragantur conventibus, ſicque matriculam Imperii, quam in aula ſua reſervat, ipſi ſit concredita, à quo iſta peti ſolita ſit. Alterum in Camera Imperiali cui ſimiliter præſit Moguntinus Cancellarius Germaniæ per ſuum tamen Præſidem, adeoq; ceu ſolus Elector Moguntinus præcipuum ſuſtineat jus. Similiter & ipſi incumbit

bit ſtatim poſt mortem Cæſaris Electores convocare R. A *de Anno 1555* § So ſich den abermahls *&c.* *Item A.B t. 1.* § Und wan es dazu kommen / *&c:* quod quoq; non poſtremum ipſius jus ſpeciale. Dubium verò hinc exoritur, num quoq; ipſi antiquitus hoc jus convenerit? nos affirmativæ favemus parti, ſubnitentes A. B. titulo 4. § 2. ubi generalia hæc ſunt verba: Sicut poteſtatem habuiſſe dignoſcitur ab antiquo &c. quod ad argum. reponi poſſit contraria in diſcurſu cum notum nobis quod quidam Receſſus Imperii citare omninò conentur, addemus; Nunquam verò hoc jus pertinere poteſt ad capitulum mortuo Electore Moguntino, ſiquidem jus hoc huic Electori non defertur quatenus Epiſcopus, ſed quatenus Imperii Princeps A.B. *t. 4. §.* Ferner / ſo offt *&c.* Neque hoc fieri poteſt ſi Elector in munere negligens fuiſſet, quod certè tunc fieret ſi unquam fieri poſſit, verùm nec ideò evenire poteſt ob A. B *t. 1* Wann es aber / *ibi.* Und do vielleicht der ErtzBiſchoff zu Meintz *&c.* Vivente tamen Imperatore an idem convocandi jus Electori Moguntino competat, non parum intricatum reperimus adeò ut ſuſpenſi ſimus animo cui hoc jus addicamus, dicimus tamen quod idem ad Electorem Moguntinum ſpectet, quamvis A. B. nihil hâc de re fecerit mentionem, præprimis cùm Electio hæc ſolis Electoribus competat ac non niſi de electo requiratur Imperatoris conſenſus, ſuffragantem nobis addit calculum Dom. Aurumæus *Comment. ad A.B. quæſt. 11.* dicēns ſic contentionem ortam ſub hac controverſia placidè ſopitam eſſe.

An antiquitus ipſi competierit convocatio ſc.

Nunquam convocatio pertinet ad capitulum.

An vivente Imperatore convocandi jus Electori Mog. competat?

XXX. Paucis ultimo loco expendendum reſtat de Electore Moguntino num hodie ipſi competat in Electione primum votum, cùm ipſe Collegii Electoratis habeatur Decanus, quod in quolibet Collegio Decano attribuatur? Quod quondam ipſi hoc relictum fuerit probare videtur ex Speculo Saxonico *lib. 3. art. 57.* ubi hæc reperiuntur verba: Der Biſchoff zu Meintz hat die erſte ſtimm der Wahl / der Biſchoff zu Trier die andere / *&c.* Sed diſpoſitione A.B. t 4. §. 3. Primum votum Electori Trevirenſi ultimum Moguntino competit: So ſoll der Biſchoff von

An hodie in Electione primum habeat votum?

Meintz /

Meinz/&c. ibi. Zu erſten ſoll er fragen den Biſchoff zu Trier/ den die erſte ſtimm gebühren ſoll/&c. Hodie tamen de conſuetudine Moguntinum in Electione primum habere votum, ex Goldaſto refert Dan. Otto Juriſp. c. 10.

Elector Trevirenſis. XXXI. Hunc in Electione & ſuppeditando voto ſequitur Elector Trevirenſis quod & ex Actu nunc feliciter regnantis Ferdinandi III. Anno 1650. Coloniæ habito clarum evadit. *Colonienſis.* Tertium votum competit Electori Colonienſi, quod nobis, ſi A.B. ad verum exigamus, pateſcit. De horum juribus territorialibus nobis nihil ſuccurrebat, ideoque pedem nunc ad ſeculares promovemus Electores, de quibus tamen conſiſtentibus in limine occurrebat quæſtio, num ii quoque Electores in Imperatorem eligi poſſint. *Quæſt: An ſeculares Electores in Imperatorem eligi poſſint?* Nos quamvis nobis variè ſentientium obſtet, meſſis ſententiam noſtram cum affirmantibus conjungemus, reperimus enim nihil obſtare poſſe, quin iſti ad Romano-Germ. adhiberentur gubernacula, inprimis cùm Principes ſeculares habiles ſunt activè, quidni & paſſivè, nec obſtaculo eſſe poteſt quod Rex. Rom. ad defenſionem Eccleſ. Pontificiæ adſtringatur in cap. Siquidem ipſi Electores hanc adſtrictionem in Capitulatione omittere poſſent *Caſpar Ens in libell. de Elect: & inaug. Regis Rom. cap 1.* Deinde dicimus quòd hæc protectio Imperatoris modò ſecularem jurisdict. concernat, quidni hoc faceret Elector ſecularis in Regem Rom. evectus & electus *l. 8. C. de ſumm. Trinit.*

Rex Bohemia. XXXII. Quorum primus cenſetur Bohemiæ Rex, qui primum inter Electores ſeculares obtinet jure locum, inprimis quòd hic revera Regia polleat dignitate, Electores verò non niſi quod Regibus æquiparentur, non igitur parum detrimenti Regia pateretur dignitas, ſi Ducibus, altero nimirum intuitu, poſtponeretur, præſertim quod & Nobiles illi qui duplici gaudent dignitate, adeoque ſimul doctorali ſimpliciter Nobilibus præferantur, atteſtantibus hinc inde Regni conſtitutionibus, *ut R. J. Aug. de Anno 1500.* pluribus *Reinking de Reg. Secul. & Eccl. lib. 1. claß. 4. cap. 3. n. 29.* qui eodem modo probat ex R. *tit.* Von überflüſſigkeit der Kleider. Certi igitur ſumus quod hic

Rex

Rex verè ſit Elector, hoc modo controvertunt, an ſit Imperii ſtatus? Multi ad aff. cum Goldaſto procedunt partem, nos negativæ aſſentimur, ſiquidem notæ veri ſtatus, quas ſupra recenſebamus, ipſi non competant, præſertim cùm ſpeciali gaudeat privilegio, ut ad Comitia comparere non debeat, *Reinking lib. d & claſſ. cap. 3. n. 33.* Plura ſubjungit Carpz. ad L. Reg. cap. 5. ſ. 9. 10. & 11. Cum igitur notum nobis quòd Rex Bohemiæ ſit Elector paucis diſponendum venit, quomodo hoc officio in Comitiis fungatur, adminiſtrat autem Archipincernæ, an verò expleat hoc ſub Corona Regali, an verò ſub pileo Electorali? Dubium eſt; Breviter tamen noſtram ſubjungimus ſententiam, & dicimus quòd Imperator in arbitrium ipſius poſuerit, quomodo adminiſtrare velit. Nam ſub Corona Regali, niſi ſponte voluerit adminiſtrare non tenetur, ut patet ex *A. B. tit. 4. §. ult.*

XXXIII. Hunc proximè ſuccedit Comes Palatinus cui ſecundum inter ſeculares ad Electionem Imperatoris competit votum, cujus jura jam paucis exigemus, dicuntur autem Comites Palatini qui titulo hoc fulgent in Imperio, dicti à Curia, dicitur enim Pfaltz idem ac curia aut Palatium *Web. in obſ. pract. verb.* Pfalltzt. Etiamſi de Palatinatu nunquam reperiantur inveſtiti. Præprimis verò hoc privilegium competit ipſi eximium, quod coram eo Imperator aut Rex Romanorum conveniri poſſit A. B. tit. 5. §. ult. Quo tempore verò hoc ipſi collatum ſtatuamus officium, ſuſpenſo ſumus animo, ſiquidem nullibi certum reperire nobis licuit, quamvis quidam aſſerere videantur collatum ipſi eſſe à Rudolpho Anno C. 1250. Non tamen levi de cauſa ad hunc Electorem Imperator defertur, ſed ob cauſas ipſum Imperatorem concernentes; An verò idem in cauſa exauctorationis Imperatoriæ ſolus judicium ſuſtineat haud parum involutum invenimus. Dicimus tamen quod cognitio hæc ad totum Electorale ſpectet Collegium, ſiquidem ipſis cunctis competebat Electio, cur non & depoſitio, arg. l. Nihil tàm nat. ff. de R. J. Palatinus verò in judicio exauctorationis Imp. Præſes & omnimodè reputatur director. *Comes Palatinus.*

XXXIV. Competit quoq; huic Electori unà cum Illuſtriſsimo Saxoniæ Electore Vicariatus, vocante Imperio A. B. t. 5. ita ut in partibus Rheni Vicarius imô & Sueviæ & jure Franconico, Saxo verô ijs in locis, ubi jus obſervetur Saxonicum, Vicariatu fungatur, quibus verbis etiam aſsignificari quoq; ſtatuimus cũcta loca in quo olim jus Saxonicum viguerit, & dubio procul loca indigitantur, quæ expreſso nomine in Confirmatione Caroli haud attinguntur, hæc horum Vicariatui omnimodè ſubeſſe, reperimus *Freh. cap. 25.* Et hoc Vicariatus officium etiam in caſu abſentiæ Imperatoris & peregrinationis trans Alpes non tantùm Elect. Palatino, ſed & Saxoni, cõpetit adſtruit poſt alios Arum. diſcurſ. 3. ad A. B §. 31. Carpz. ad L. Reg. Germ. c. 11. ſect. 14. quibus non obſtat A. B. tit. 5. Siquidem & Imperium viduatum exercent. Uterque etiam Vicarius judicium Camerale exercet, quamvis Spira ſub Electore Palatino ſit ſita, non tamen Spiræ adjurata, ideoque communi Conſenſu & alio transferri poſsit, in definitè enim Vicariatus his tribuitur. Non igitur immeritò indefinitè exercent, indefinita enim locutio univerſali certo æquipollet *arg. l. ſi pluribus hæred. ff. de leg. Exempla refert Buxt. concl: 10 lit. C.* ſub Rudolpho II. ſic accidiſſe. Et hoc privilegium cum Electore Saxoniæ habet Commune præcipuũ quod ſolus poſsidet, eſt de conveniendo Imperatore, quod tamen judicium non in Palatinatu, ſed in ipſius Imperatoris Curia inſtitui debet. *A. B. tit 5. in fin.* Aliaq; privilegia monſtrat Carpz. c X. ſ X. Longè tamen ab his Comitibus Palatinis diverſi ſunt. Qui Cæſarea autoritate Nobiles, Doctores creant, quibꝰ abuſivè tãtùm & alio ſenſu ab Aula vel Palatio Imperatoris hoc competit nomen, Doctores verò Bullatos cum Cœteris legitima poſsidere privilegia certò aſſerimus, ſiquidem eodem modo & ſua privilegia ab Imderatore habent.

XXXV. Tertius in Secularium Electorum ordine conſtitutus reperitur Elector Saxoniæ, qui gladium in Coronatione, aut alio in loco Imperatori præfert, cujus privilegia anteà ferè recenſuimus. Privilegium videlicet Vicariatus Imperij, quod ipſi omnimodè cum Electori Palatino tantummodô competit,

quod

quod factum poſt mortem Rudolphi II. & Math. certò reperimus, adeoq; tantùm hunc poſſe dicuntur, quantum ipſe Imperator poſſe putatur, adeoq; & feudorum facere poſſunt inveſtituram, ſicq; fidelitatis juramenta Imperij recipere poſſunt nomine; An verò hoc ſe extendat ad feuda majora Regalia hodiè quoque diſcepatur. Carolus enim IV. feuda iſta nimirum Fahnlehns penitus excepit, quæ ſoli Imperatori reſervavit, *Vultei. de feud. lib. 21 cap. 2: n. 9.* Eundem in modum quoq; Carolus IV. Epiſcoporum feuda conjungit & Abbatum ut hæc ſoli Imperatori ſint reſervata: Dicit enim der Fürſten und Fahnlehnen. Epiſcoporum enim feuda Sceptro conferuntur non vexillis.

Quod tamen ne vergat in præjudicium, petentium feudum, cum conſtitutum ut intra annum feudi Inveſtitur petatur, Carolus V. Conſtitutione ſingulari ſanxit de Anno 1521. in Comit. Wormat. Ut ſi petatur, Vicarij unum adhuc annum petendi concedant, adeoq; ſi Imperator intra duos iſtos Annos non revertatur, ſigularem aliquam ablegaturus ſit perſonam, quæ feudum iſtud conferat. Nequaquam igitur ad duos iſta Imperij Vicarios pertinebit ordinarios. Cognitionem autem de feudis regalibus, ordinarijs Vicarijs omnimodam relictam eſſe nulli ambigimus, ſiquidem hoc ſaltem ſpecialiter interdictum, ne feudorum Inveſtituram conferant, ſiquidem Carolus IV. ipſe hoc aſſerere voluerit; Alia Elect. Sax. adducere privilegia prohibemur.

XXXVI. Pedem nunc promovemus ad Sereniſſimum Electorem Brandeburgicum, qui ultimum inter Electores Seculares, juxta ordinationem A.B. ſuſtinet locum, qui Imperij Archicamerarius & fiſci præfectus, cujus inſigne Sceptrum reputatur, quod in argumentum gubernationis Imperatori, quando coronatur, præferri dicitur. Multis hic Elector privilegijs gaudet, quæ ſi adducere velimus, verebamur ne charta nos excluſura ſit, breviſſimis itaq; pauciſſima duntaxat relaturi ſumus, præprimis autem competit ipſi, ut & Electoribus & Ducibus Saxoniæ, ſingulare privilegium de non appellando, quod Elector Brandeburgenſis nunquam amiſiſſe reperitur, quamvis Electores cæ- *Plector Brandenburgicus*

teri id non perinde uſurpaverint, quod ex renovatione hujus privilegij Rudolphi II. clarum ac planum evadit, facta Anno 1589. ibi expreſsè hæc habentur verba: **Vber hundert vnd mehr Jahren/ vnd alſo weit vber Menſchen gedencken eingeführet und behalten worden/das niemandt von den Churfürſten zu Brandenburg** decretum &c. **an vnſerer vorfahren niemahln zu** appelliren **macht gehabt** &c. Ibi aſſeritur quod nunquam amiſere ulteriùs iſtud privilegium. Hodie & & alijs ſtatibus conceſſum, ut patet ex oſnabrug. pacif. ubi Reginæ Sueviæ conceditur privilegium de non appellando §. 10. ita tamen ut Tribunal in Germania conſtituat &c.

Neq; ſubditi huic privilegio renunciare valent etiamſi velint, vergit enim in præjudicium Electorum *l pen. C. de pact.* imò publicitus intereſt Magnificentiam Electorum ſervari, ideoq; ſimpliciter renunciationi locus non erit *l. 38. ff. de pact.* Non tamen adeò hoc privilegium coarctatum, ut ſubditi ad Cameram Imperialem denegata juſtitia proceſsus appellare non poſſint A. B. tit. 11. v. **auff den fall aber**: De nullitate verò ſubditos cõqueri in Camera non poſſe verius eſt & verbis privilegij cõvenientiùs *vid. Limn lib. 3. c. 10. n. 39.* Et hæc de privilegijs, ex pluribus unicum adducere voluimus, ſiquidem præter ſpem crena crevit, ideoq; abrumpendum nobis erit.

Succeſsio Electorum.

XXXVII. Perſpectis igitur & his, conferimus nos ad modum Electorum ſuccedendi; Eccleſiaſtici autem quod eligantur certum eſt: Quæritur tantummodò an votum in Electione habeant, antequam à Pontifice pallium ſuſceperint, aut infulati fuerint, ad quod cum Carpzovio dicimus *diſp. feud. 3. Coroll. ad A. B. quæſt. 4.* quòd omninò votum habeant, quod atteſtatur Obſervantia teſte *Lim. lib. 3. cap. 341.* Conceſſum quoq; dicitur hoc ſuffragij jus Archiepiſcopis non ut Perſonis Eccleſiaſticis, ſed ut Imperij Germanici Principibus, *Geil. lib. obſ. 30. n. 1.* Quomodo verò Electores ſeculares conſtituuntur modò videbimùs, fit illud ſucceſsione, quâ illi, quibus Regnum Bohemiæ, cœteraque

Quær: an Eccl: votum habeant antequam à pontifice infulati?

Succeſsio Electorum Secularium.

que

que feuda Electora tuum debentur, ad ipſum quoque Electoratum promoventur. Si autem Succeſsores deeſſe intelligantur, poteſtate Imperatoria conſtituuntur, & quidem ut plurimùm ex pacto ab Imperatore confirmato, qualia pacta hodiè valere aſſerit Carpz. d. feud. 17. Coroll. ad A. B. quæſt. 3. qui ita legitimè electitiam dignitatem adierint ijdem virtute Principatuum, unà cum Cœteris Electoribus jus, vocem & locum habent *A. B. tit. 7.* Longè autem frequenter ſuccedunt, adeò ut primogenitus, qui primò in lucem editus, licet Pater cùm natus fuerit, nōdum fuiſſet Elector, in Electoratu ſuccedat, & quàm primùm editus, ſucceſſor Electoratus ſit, unde & JCti primogenituram jus inſtantaneum dixerunt, *Tiraquell. de primog.* Si verò Elector decedat, ac filios defectum ætatis patientes relinquat, quisnam ibi tutor debeat eſſe, maximè controverſum reperimus, pro legitimo faciunt verba *A. B. cap. 7.* in quo diſponitur, ſi Secularis Elector filios reliquerit defectum ætatis patientes, quòd tunc Ordinarius tutor ſolum proximus agnatus ſuccedere debeat. Nec movet nos *l. 120. ff. d. V. S.* Ubi dicitur quòd latiſsima ſit poteſtas tutores Conſtituendi, dicimus enim eum in modum tantùm latiſsimam poteſtatem, quatenus illa poteſtas Lege publica non eſt reſtricta. Quanquam exempla contraria in Imperio noſtro pro tutelâ teſtamentariâ deeſſe nōn diffiteamur. Solvitur illa tutela heredum Electoralium Annò ætatis 18. quod novum jus in ſolis Electoribus conſtanter ſervari præcipit *cap. 7. A. B.* Cœterùm ſi primogenitus mortuus ſit, ſuccedendi jus ad primogenitum primogeniti devolvitur, deficiente verò prole Laica primogeniti ad patruum defertur.

XXXIIX. Paucis nobis perſpectâ Electorum ſucceſsione, nobis inquirendum reſtat an ſc. quando iſtis jus ſuccedendi cōpetat, officia & feuda Electoralia ab Epiſcopo Bambergenſi conferantur, quod negamus, atteſtantibus literis Inveſtituræ à Ferdinando I. Auguſto Sax. Elect. facta Anno 1561. Ubi Electoratus & officium ab Imperatore fuit collatum: Vnd dem auch darüber wellandt &c Hodiè tamen tantùm Electores, reſpectu aliquorum bonorum inveſtituram ab Epiſcopo Bambergenſi petunt *An feuda Electoralia ab Epiſcopo Bābergenſi conferantur?*

tunt per Vicarios ſuos, Bohemus per illum von Auffſaß: Palatinus per illum von Pommersfelden/ Saxo per Marſchallum von Ebner/ Brandenburgicus per illum von Rothenhan/ per modò dictos ſuos vicarios, non ut officia Electoralia, ſed Epiſcopalia, ex equeſtri Ordine, quibus deinde in ſubfeudum ea concedunt.

Diviſio reſpectu dignitatum claſſis Principum. XXXIX. Devolvimur nunc ad ſecúndum gradum noſtræ diviſionis, reſpectu ſcil. dignitatum, quorum claſſem ſecundam conſtituimus Principum, Comitum & Baronum, ac quod primò Principes concernit notum quòd alij ſint. Eccleſiaſtici alij Politici de illis quæritur an rectè ipſis competat juriſdictio ſecularis, nos affirmativæ favemus, dicimusq; neq; ordinationé divinam *neq; Novell. 6 neq; l. 41. C. de Epiſcop. & cler.* nobis adverſari, ſiquidem noſtri Epiſcopi nominetenus ſaltem dicantur Epiſcopi, alioq; reſpectu ut Principes & ſtatus Imperij conſiderantur. De noſtris verò politicis Priucipibus quæritur: An ipſis Jurisdictio in Eccleſiaſticus competat nulli dubitamus Math. Steph. de Jurisd. lib. 3. c. 10. num. 13. Principes autem Imperij tantùm in ſuis territorijs poſſe quantum in Imperator Imperio non ſimpliciter aſſerimus, ſed certis adhibitis diſtinctionibus ac reſtrictionibus, quæ omninò Imperator ſibi reſervavit, ut Reges, Duces, Comites, Barones, comites palatinos creare &c: Multa ipſis jura competunt, quæ omnia recenſere haud poterimus; ſiquidem Regalia tàm majora, quàm minora revera uſurpant, ideoq; & jus mittendi legatos habere cenſentur *Wurmſ. exercit. J. publ. 4. θ. 4.* Notandum tamen nobis venit primariò eos Principes legatos mittere qui ſuperiorem non recognoſcunt, ſecundariò autem qui ſtatus immediatus ſunt Imperij. Hinc ad Comitia quando mittuntur rectius deputati aut nuncij dicuntur, ut hinc inde ex Receſs. conſtat Imperij, hinc etiam Principe mortuo durantibus Comitijs ſucceſsor ejus ante inveſtituram à Cæſare obtentam ſeſsionem illius per nuncios defuncti, miſſo mandato continuare poteſt, ratio eſt, quia jus primogenituræ, quàm primùm editus eſt acquirit, adeoque Elector ante inveſtituram Imperatorem eligere valet quidni & votum habeat in Comitijs pluribus Gerlac Buxtorff. ad A. B. concluſ. 85. lit. s.

Quando Princeps durantibus Comitijs moriatur quid ibi agẽdum.

XL. Et

XL. Et quamvis ſat pinguia Principum Imperii ſint jura, non tamen tanta ut nova vectigalia erigere poſſint, præprimis quòd nec ipſe Imperator hoc abſque conſenſu ſtatuum Imperii poſſit, neque etiam vetera augere queunt Receſſ. Imper. de Anno 1576. §. Weiters ſein wir. Ipſi tamen omninò à vectigalibus ſunt immunes, atteſtante *Wechn. obſ. pract. verb.* Zollfrey. Non tamen dixerimus quod omnia. Sic & meritò inter Principum regalia refertur, quod de terris ſuis hæreditariis teſtamentum ordinare queant, ubi tamen attendendum, nobis terras ac ditiones iſtas intendere, in quibus Reges ut in privatis quaſi hæreditatibus merè hæreditario jure Succeſſores fiant, ne præjudicium fiat primogenito. Non verò in ſucceſſoriis legitimis. *Reinking. de Regim. Sec. & Eccl. lib 1. claſſ. cap. 12. n. 31. & ſeqq.* Eundem in modum ipſis licere ſine ſolennitatibus teſtamenta ordinare aſſerimus, atteſtante *Beſold. lib. 1. d. reg. ſucc. diſſ. 2. n. 10. & ſeqq.* Ubi tamen ſubjicit, quamvis liceat hoc ipſis tutius tamen facturos ſi ſolennitates adhibeant. Plurimis gaudent regalibus, quæ ſi adducturi eſſemus brevitas nos excluſura videbatur chartæ, refertur enim ad hæc jus venationis, quanquam minus propriè, quod adeò ſibi aſſerunt, ut delinquentes contra edictum ſuum capitis pœnâ coërcere poſſint. *Carp. prax. crim. part. 2. quæſt. 54. n. 26. & ſeqq.* Hùc quoque pertinet Regale viarum publicarum, unde paucis nobis decidenda venit quæſt. iſta intricata, ſi quis in confinio duorum territoriorum occiſus ſit, ad quem cognitio homicidii pertineat? Multa circa hanc reperiuntur ſententiæ, alii dicunt ubi caput ceu potior pars corporis fuerit repertum, alii ubi pedes inclinant demortui, aliæque multæ ſunt ſententiæ quas referre ſi cuperemus à propoſito noſtro ipſi nos arceremus, dicimus tamen breviſſimis *cum Carpz. in prax. crim. p. 3. quæſt. 110. num. 35.* Si certæ conjecturæ haberi non poſſint, potiùs cognitionem ad utrumque Dominum territorii pertinere. Cui controverſiæ affinis videtur ſi quis in via publica occiſus reperiatur, ad quemnam prima cognitio pertineat, an qui regalia in iſta via poſſidet, an verò qui in omnibus merum habet Imperium;

Jura principum.

Si quis in confinio duorum territorium occidatur quis ſit Judex?

Si quis in via publica occidatur quis Judex?

 perium;

perinm; Dicimus tamen nos diverſam eſſe conſuetudinem, adeoque iſtam juri communi conſensaneam eſſe, in qua ſtatuitur ad eum pertinere ad quem pertinent Regalia *argum. L. 1. § quies. ff. de off. præfect. urbi l. 13. ff. de off. præſid.* hoc obſervari in Marchia Brandeburgenſi autumamus, ubi prima cognitio homicidii perpetrati ad eum ſpectat, ad quem viæ publicæ pertinet cura, ut tranquilla ſit. cujus tamen & propria eſt. *Videatur Conſtitutio D. Georgii Elect. Sax. data Anno 1506.*

XLI. Perluſtratis igitur & juribus Principum, dilabimur ad Duces, Comites & Barones, eoſque ceu ſingula Principum individua, cum ſub vocabulo Principis contineantur, perluſtrabimus, officia enim horum hodie ſunt non muneris ſed patrimonii, eoſque inveſtitos reperimus de Ducatibus, Marchionatibus &c. Primas verò poſt Electores tenent Archiduces Auſtriæ, quibus ferè cum Electoribus æqualia conceſſa ſunt privilegia, proximamque à dextris Electorum habent ſeſſionem; Dignitas verò horum originem ſumpſit à Rudolpho Habsburgenſi, qui cùm legitimo deſtitueretur hærede eandem filio ſuo Alberto & quidem ſub titulo Archiducatus contulit, ſic hodie hic titulus tantùm Auſtriacis competit. Quorum tamen hodiè duo ſunt familiæ una à Ferdinando quæ propriè Auſtriaca. Altera à Carolo V. quæ Burgundica appellatur & hinc Reges Hiſpaniarum originem trahunt, Privilegia eorum referre pinguisſima noſtri non foret inſtituti, quæ ab aliis creduntur majora Electorum poſſunt iſta videri in Coſmogr. *Sebaſt. Munſt. lib. 2. cap. 399. fol. nov. edit. 974.* In qua aſſeritur & inveſtituram tecto capite in proprio territorio equo inſidentes accipere. Duces verò unde dicti ſint conſtat quaſi ein Herr des Zuges/ ſic & reliqui unde fuerint Marchiones, Landgravii &c. hinc inde ex Autoribus conſtat, ideoque Etymologiam eorum addere ſupervacaneum judicabamus.

Archiduces Auſtriæ.

XLII. Comitum autem varia ſunt genera, quidam enim non ſunt in matriculam relati, & ſine regalibus inveſtiti, alii verò votum habent in Comitiis, non tamen ut in ſinguli vo-

Comites.

tum

tum habeant in Comitiis, ſed ut totus ordo Comitum duo tantùm habeat vota. Barones verò, eos dicimus, qui de Baronatu ſunt inveſtiti unâ cùm Baronali dignitate, eosque dicimus cùm Comitibus in pari dignitatis gradu eſſe conſtitutos, ſicque in Comitiis conjungi cum Comitibus, adeoq; duo iſta vota & ſub nomine Baronum efferri aſſerit *Reinking de Reg. Secul. & Eccl. lib. 1. claſſ 4 cap 14. n 60.*

XLIII. De Nobilibus controvertitur an ſiſi in Franconia ſint ſtatus? Nos negamus & dicimus immediatè quidem eſſe Imperio ſubjectos, verùm non ſtatus Imperii, neque hodie ſeſſionem ac votum in Comitiis habere atteſtatur *Reink. lib. 1. claſſ. 5. cap. 10. num. 8.* Nihilominus tamen & ipſis jus mittendi Legatos competit Wurmſ. exerc. 1. jur. publ. 4. t. 7. Cùm igitur de Nobilibus jam âgamus, paucis ventilabimus an aliquis qui à nobili adoptatus, fiat Nobilis etiamſi ſit ignobilis? Nos negamus, quia adoptio jus ſanguinis non conflet l. 2 ff. unde cognat. Non tamen negamus quòd aliqualem nanciſcatur dignitatem, non tamen ipſam nobilitatem obtinebit, ſi enim hoc eſſet quivis poſſet nobilitatis conferre privilegia, cùm tamen hoc ad ſolum ſpectat Imperatorem Principesque Imperii. Hinc & Patricii alicujus civitatis verè nobiles non ſint, ſiquidem non ſunt autoritate Imperatoris nobiles creati ſed conſuetudine civitatis, hinc dicuntur Stadt Junckern non foris. *Wurmſ. exerc. J. P. 4. t. 14.* Neq; is verè nobilis nuncupari poteſt cui feuda nubilia conferuntur, quia dignitas hæc perſonis non rebus cohæret, ut res à Perſona non perſona à re accipit denominationem *l. 1. ad fin. c. d. impon. lucrat. deſcript.* *Nobiles.*

XLIV. Ultimi inter ſtatus Imperij ſunt liberæ & imperiales civitates; Hodiè enim inter liberas & imperiales citates nulla datur differentia, quod patet hinc inde ex R. I. qui promiſcuè nomina iſta uſurpant, hi enim ad Comitia vocantur, votumque ipſis competit, & conſultivum & deciſivum ut conſtat ex *Pacif. Oſnabrug. § 6.* Ad Comitia verò vocandi, ut votum ſuum ſuffragantur in duo latera dividuntur, nimirum in Rhenanum & Suevicum, ut refert *Paurmeiſt. l. 2. de Juriſdict. c. 11 fol. 420.* Ex *Civitates liberæ.*

his tameu quædam civitates Imperiales mixtam obtinent cauſam, quia partim Imperatorem quoad Regalia ſuperiorm recognoſcunt, partim verò Principibus, in quorum territorijs ſitæ ſunt certis pactis & conditionibus ſubſunt *R. J. de Anno 1548.* §. Solchen zubegegnen/ ut & à Carolo IV. lis diremta inter Duces Holſatiæ & civitatem Hamburgenſem de libertate exempta. Jura verò quæ liberis competunt Civitatibus relatu difficilia ſunt, ideoque unicum referemus, quorum primum quod ipſis licitũ ſit fœdera contrahere ut apertè ſuffragatur *A. B. tit. 15. § 1.* Quam in rem quoque pleriq; fœdus proferunt Hanſeaticarum, quod fœdus 80. Civitates initiò comprehendiſse refert Thuanus lib. 51. hiſt p. 838. è quorum tamen numero quatuordecim Anno 1418. fuerint ejecti remanſere itaque adhuc 66. quod fœdus legitimum pronunciamus etiamſi civitates ſub alio Principe ſitæ in hoc Comprehendantur, approbatum tamen à Carolo VI. *Carpz. ad L. Reg. cap. VI. n. 14. ſect. 10. Limn. de jur. publ. lib. 7. c. 1. n 70.*

Diviſio in Circulos

XLV. Ratione territoricorum in decem dividuntur circulos videlicet in Auſtriacum, Burgundicum, Electoricum Rheanum, Saxonicum ſuperiorem & Brandeburgenſem Francicum, Bevaricum, Suevicum, Rheanum, Weſtphalicum & inferiorem Saxónicum ſecundum quos vota ſua ſuffragantur obſervandum tamen quod quando circulariter aliquid proferendum in ſex coarctentur. *Vechn. in obſ. pract. verb.* Stande des Reichs. Ut videndum ex Pacificatione Oſnabrugenſi, hinc ſc. Sereniſs. Elector Brandeburgicus ratione Epiſcop. Halberſtadienſis ponitur in circulo Saxoniæ inferioris, ſic ratione Epiſcopatus Mindenſis in creulo Weſtphalico. Sic & Reginæ Succiæ aſsignatus ratione Pomeraniæ citerioris & partium aliquarum ulterioris circulus ſuperior Saxonicus, Votum verò cum unum de utraque Pomerania præſtari ſoleant; ideoque Reginæ Sueviæ cum Elect. prius communicet adeoq; ſic efferatur. Competit enim Reginæ Succiæ de ulteriori pomerania quoq; Gartz/ Dam/ Golnau & Inſula Wollin. inſtrum. pac. §. 7.

XLVI. Atq;

XLVI. Atq; hæc quoque nobis de diviſione ſtatuum Imperij dicta ſufficiant. Paucula nunc de Imperatoris Romani Germanici ſubjiciemus juribus, cujus multa ſunt reſervata, quæ ſtatibus ne ex minimo competunt, ut Marchiones creare, ſic feuda regalia conferre. Ipſe tamen Imperator coram paribus curiæ in cauſis feudalibus convenitur, non coram Comite Palatino, juxta Regulam juris feudalis: Si lis inter Dominum & Vaſallum de feudo exorta fuerit, pares Curiæ Judices Competentes eſſe debent, quæ regula fundatur *in lib. 2. in feud t. 16.* Si inter Dominum *ſic tit. 20.* & hoc procedere etiamſi Dominus nullum ſuperiorem recognoſcat affert Wurmſ. ex J. P. 4. in Coarll. Ipſe quoque Imperator cum Camera Jurisdictionem concurrentem habere cenſetur, non enim imperator fontes ſuos derivaſſe creditur, ut nihil reliquerit ſibi: Quær: hoc loco an cauſæ criminales & Eccleſiæſticæ ad Cameram pertineant? Quod negamus cum *Wurmſero* exerc. 7. t. 44. Siquidem cameræ merum Imperium conceſsum nullibi appareat, verùm componendus nobis calamus, ne nimium Chartæ conglobetur. *Jura Imperatoris.*

XLVII. Methodo igitur noſtræ ulterius inſervimus, adeoque primò ponimus Materiam ſtatuum Imperij, quæ, circa quã iſta materia occupata breviter adjiciendum reſtat, occupata verò iſta eſt circa cujuslibet ſtatus territorium in quo omnimoda utuntur Jurisdictione, adeoque & judicium ſubditis ſuis concedere poſſunt, adeò ratum ut quòd jam anteà demonſtratum in quorundam ſententijs nulla univerſalis ſit appellatio, meroque fruuntur Imperio ſicq; voluntatem liberam, in iſta diſponendi habet, ne tamen diſpoſitio iſta currat contra Imperatorem, territorij, vocabulum autem hoc loco non activè reſpectu ſcil. ſuperioritatis conſideramus, ſed materialiter pro certo ſpatio jurisdictione munito. *Materia.*

XLVIII. Forma verò ſtatuum in territorijs ſuis triplex eſſe videtur, monarchia in Principibus, tàm ſecularibus quàm Eccleſiaſticis, Ariſtocratiam verò repræſentare dicimus & Democratiam civitates Imperales, ac liberas; Plurimi tamen Ariſtocratiam, ſi in Regimenta civitatum oculos convertamus liberarum. *Forma.*

XLIX. Quem verò ob finem ſtatus hi ſint conſtituti ab Imperatoribus, quos & cauſam efficientem ſtatuum dicimus, in propatulo eſſe arbitramur, cumque in ſuperioribus ferè demonſtravimus ideoq; brevi calamo paucula perſtringemus, dicimusque eam ob cauſam factum ut videlicet fideliter imperatori cōſilio votoque aſsiſtant, ipſe enim imperator ſolus tanti imperij ſphæram torcuere haud poſſet niſi & ipſi votis ſuis ceu manum admoverent ſedulam. Deprehendimus hinc inde ex conſtitutionibus Receſsibusque imperij quod nec leges uuiverſales nec bella querenda ſint aut inſtituenda niſi communi ſtatuum conſenſu; quamvis ſuo nomine poſtmodum imperator indicat. Ultimo ſe quæſtio maximi momenti offert, An ſtatus imperij in cauſa religionis contra imperatorem fœdus inire poſsēt defenſivè, pro affirmativa afferunt *l. fin. ff. de jurisd.* quod magiſtratui magiſtratus terminos excedenti impune non pareatur. 2. quod ſtatus defenſores fidei appellantur *in R. J. Norinb. de Anno 1524.* §. als viel gedachte ibi das wir vns verſehn die Stänge des Heiligen Reichs als ſchützer und ſchirmer des glaubens. Ubi adducunt quod apud Lambertum Schaffnaburgenſem etiam comites Saxoniæ fidem dediſſe ſacramento inperatori dicant. Si contra faciat ſe cum eô ceu hoſte æterno bellum generc, *Waremundus ab* Ehrenberg *in meditam. pro fœd. cap. 2. non 240* aliique. Quod tamen non niſi certis concurrentibus requiſitis, de quibus in conflictu, aſſerendum. Atque hæc nobis de dicta ſufficiant materia, componendus nunc calamus ac ſubnectendus

FINIS.

DEO SOLI GLORIA.